



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

386. De Annunciatione B. Mariae Virginis. De puritate & humilitate B.
Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

dependet ab actionibus virtutum, non majorum, sed proprijs.

Conf. 3. Causam quartam ex Menochio. Quod non sit sanguis tam sincerus, nec familia tam illustris, quæ non habeat in presenti, vel in præterito aliquam maculam, vel infectionem vitij, aut ignobilitatis. Discam ex virtuosis actionibus aliorum imitari, quod potero, ex vitiosis dediscam, quod videro.

MEDITATIO CCCLXXXVI.

De Annunc. B. Virgin.

De puritate & humilitate B. Virgin.

Videbo Angelum venientem ad parvam civitatem Nazareth, sitam in monte, in Galilæa minore 6. miliaribus distante à monte Tabor. Petam agnoscere duos sanctitatis fontes puritatem & humilitatem.

Conf. 1. Puritatem cordis esse sanctitatis principium, quæ est causa, cur Deus oculis mentis videatur. Suprema custodia puritatis oritur. 1. Ex continuo gratiæ influxu. 2. Ex delectatione in Deo, quia gustato spiritu desipit omnis caro. 3. Ex scripturæ divinæ frequentatione. *Ama scripturam, & carnis vitia non amabis, inquit Hieronym.* B. Virgo fereur ab Angelo reperta in lectione Isaia, ejus Spiritus exultavit peréniter in Deo salutari suo. Omnes cordis illius motus excitabantur, &

vivifi.

vivificabantur gratiâ, & Spiritûs sancti influ-
tu continuo, ideo dicitur gratiâ plenâ, quæ
omnem labem non aliter, atque fel à corde
projecit. Imitabor eam per actionē puritatis.

Conf. 2. Alter fons sanctitatis est humilitas,
quâ Deus magis delectatur, quàm devotione
aut aliâ virtute, ut sponsus magis optat in-
tueri vultum, manûsque Sponsæ, quàm chi-
rothecas & monilia, ut loquitur Dominus S.
Gertrudi: lib. 3. c. 18. B. Virgo naturam hu-
manam usque ad Deum exaltatam subjecit
infra se, nominando se Ancillam Domini,
cùm Mater esset, quia debuit suo Filio sum-
mè assimilari, sed in Christo fuit abyssus hu-
militatis, eum igitur Diva imitari debuit, &
ego Divam actionibus humilitatis.

Conf. 3. Qui semel communicat huic (in-
quit Dominus lib. 3. cap. 53. D. Gertrudi)
Ego me ipsum tribuo ad salutem cum om-
nibus bonis, quæ continentur in thesauris
meæ divinitatis pariter & humanitatis. De-
siderabo Dominum suscipere in Unione il-
lius amoris, quo Deus homo factus est pro
nobis. Ideo B. Virginē imitabor, quæ Virgi-
nitate placuit, humilitate cōcepit. *Magnum,*
quia Virgo, magnum, quia Mater; majus, quia
utrumque, maximum, quia, cùm tota sit,
putat se nihil esse. Ait
Beda hic.